

HORĀTIUS PUER

*carmina nōn prius
audīta Mūsārum sacerdōs
virginibus puerisque canto.**

HORACE.

XVII

FĀBULAM dē Horātiō, poētā praeclārō, nunc vōbis narrābo. Apūlia regio est Ītaliae. Multās silvās, multōs et amoenōs campōs habet. In prātīs herbōsīs multī gregēs, multa equōrum boumque armenta errant. Hīc ūlīm Horātius habitābat, parvulus adhūc et mātrī patrique cārus. Forte servōs, forte patrem mātremque fefellit, et sōlus per prāta amoena errābat. Grātī puerō erant flōrēs et herba et rūra dīvīna. Mox autem puer, lūdō et errōribus fessus, in valle herbōsā iacuit et animum somnō profundō laxāvit. Intereā parentēs sollicitī puerum dīligenter quaerēbant. Et parentēs et servi vehementer timēbant. “ Lupī

* This is real Latin poetry. It is not necessary to the story. Ask your teacher to read it to you.

saevi," inquiunt, "et ursi silvas incolunt. Lupus fortasse puerum etiam nunc crudeliter necat." Itaque diū et diligenter puerum quaerēbant.

XVIII

Tandem in caelō columbās albās vidēbant. Columbae per caelum undique volābant et folia ad locum herbōsum portābant. Parentēs ad locum contendērunt et ecce ! Infans in herbā placidus impavidusque dormītābat ; columbae in terrā, in arboribus passim sedēbant ; columbae per caelum volābant, et parvulī corpus foliis tegēbant. Nec lupī nec ursī infantem necāverant, quia Mūsae poētam etiam infantem semper conservant.

Post multōs annōs Horātius, iam adolescens, Rōmam, magnam urbem, incolēbat. Sed dīvīna rūra et vītam rusticam semper laudābat. Mūsae per multa pericula poētam conservāvērunt. Horātiī carmina per tōtum orbem terrārum etiam nunc nōta et praeclāra sunt. Vōs quoque Horātiī carmina mox legētis et in memoriae tabulīs scribētis.